inde quantalibet multitudo conuenerit· numquam amplius psallunt in sinaxi quam duodecim fratres. xii.

Hunc sane canonicum quem praediximus duodenarium psalmorum numerum tali corporis quiete releuant, ut has easdem congregationum sollemnitates ex more celebrantes absque eo qui dicturus psalmos in medio surrexit· cuncti sedilibus humillimis insidentes· ad uocem psallentis omni cordis intentione dependeant. Ita namque ieiuniis et operatione totius diei noctisque lassescunt· ut nisi huiuscemodi refectione adiuuentur· ne hunc quidem numerum stantes explere praeualeant. Nullum enim tempus ab operis exercitatione uacuum transire concedunt· quia non solum ea quae diei splendor admittit· omni instantia manibus exercere contendunt· sed etiam illa operationum genera sollicita mente perquirunt· quae nec ipsius quidem noctis densissimae tenebrae ualeant impedire· Credentes se tanto sublimiorem spiritalium contemplationum puritate mentis intuitum consecuturos· quanto deuotius fuerint erga operis studium ac laboris intenti. Et idcirco mediocrem canonicarum orationum numerum iudicant diuinitus moderatum· ut ardentioribus fide· spacium quo se uirtutis eorum infatigabilis cursus extenderit seruetur· et nihilominus fessis aegrisque corporibus minime gignere de nimietate fastidium. Idoque cum fuerint orationum canonicarum functiones ex more finitae· unusquisque ad suam recurrens cellulam quam aut solus aut cum alio tantum inhabitare permittitur· quem scilicet societas operationis uel discipulatus et disciplinae imbutio copulauit· ut certe quem similitudo conparem fecit· idem rursus orationum officium uelud peculiare sacrificium studiosius celebrant· nec ulterius quisquam eorum in requiem somni resoluitur· donec superueniente diei splendore nocturno operi ac meditationi operatio diurna succedat. xiii

Quem labore praeter illam rationem qua tota industria adnitentes· sacrificium deo de fructu manuum suarum offerre se credunt duabus causis cum omni obseruantia custodiunt· quod nos quoque si perfectione studemus eadem diligentia conuenit obseruare. Prima ne forte purificationem nostram nocturnis psalmis et orationibus adquisitam inuidus inimicus liuens puritati nostrae cui maxime semper insidiatur· et indefinenter infestus est· quadam somni illusione contaminet· qui post illam satisfactionem quam pro neglegentiis seu ignorationibus nostris obtulimus· et confessionis nostrae ueniam profusis gemitibus imploratam sollicitius nos semper quietis inuenerit maculare festinat· tum praecipue fiduciam nostram deicere atque eneruare contendens· cum feruentius nos ad deum tendere orationum nostrarum puritate